

## ANNOTATIONES

## AD CAP. II.

## VATICINIORUM HABAKUKI.

## Argumentum CAP. II.

**I**N hoc capite continetur responsio DEI ad intercessionem Prophetæ pro populo Judaico, ne penitus deleatur. Vidimus in tertia præcedentis capitis parte, Prophetam intercessisse pro populo Judaico, ne Nebucadnezaris crudelitate perdatur; Deus ad has preces non statim respondit Prophetæ, sed eum aliquandiu expectare sivit; deinde responsionem dedit, quam Propheta suis circumstantiis vestitam in toto secundo capite descripsit. In hac responsionis descriptione observamus  $\alpha$ ) Prophetam attentè expectasse divinam responsionem v. 1.  $\beta$ ) Deum in responsione præcepisse, ut Propheta eam literis mandaret v. 2.  $\gamma$ ) Deum responsionem ipsam per plura oracula revelasse v. 3. — 20. Vel *continetur in hoc capite*  $\alpha$ ) Prophetæ expectatio v. 1.  $\beta$ ) Dei mandatum, ut Propheta responsionem consignet v. 2.  $\gamma$ ) responsionis contenta. v. 3. — 20. populum Judaicum non esse perituum, promissiones de adventu Messiaë factas perstituras, & Nebucadnezaris Tyranni regnum brevi perituum.

## Analysis Partis I. Cap. II. v. 1.

Pars prima exhibet attentam responsionis divinae expectationem, ubi notamus 1.) Prophetam, qui antea

O

inter-